



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

Parisiis, 1644

I. Vt si sacerdos, vel quilibet ex clero, viduam vxorem duxerit, vel ejectam,
suum perdat officium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

rebat, aliquam fieri iniuriam, cuius adhuc in ambiguum sententia duceretur. Vnde, de quibus iamdudum scripsisse me memini, nunc iterare formam argumentis euidenteribus relationis vestrae geminata percontatio cōpellit.

I.

Eos qui viduas accepisse suggestuntur vxores, non solum clericos effectos agnoui, verum etiam usque ad infusulas summi sacerdotii peruenisse: quod contra legis esse præcepta, nullus ignorat.^b Nam cum Moses legislator clamitet: *Sacerdos uxorem virginem accipiat: ac ne in hoc præcepto aliquid putaretur ambiguum, addidit: Non viduam, neque eieclam:* contra quod præceptum, diuina auctoritate subnixum, nulla defensio mandati alterius opponitur, nisi consuetudo vestra. Quæ (vt ipsi fatemini) ex ignorantia, & vt verecundius dicam, non ex apostolica traditione & ratione integra constituta est. Nos autem, omnesque per orientem occidentemque ecclesias, nouerit vestra dilectio, hæc penitus non admittere, nec ad ultimum ecclesiastici ordinis locum tales assumere, & si reperti fuerint, submouere.

II.

Deinde ponitur, non dici oportere bigamum, eum qui catechumenus habuerit atque amiserit vxorem, si post baptismum fuerit aliam sortitus, eamque primam videri, quæ nouo homini copulata sit: quia illud coniugium, per baptismi sacramentum, cum ceteris criminibus sit ablutum. Quod cum de vna utique dicitur, certe si tres habuerit, in vetere positus homine, vxores, erit ei, quæ post baptismum quarta est, sic interpretantibus prima: virginis æque nomen accipiet, quæ quarto ducta est loco. Quis (oro) istud non videat contra apostoli esse præceptum, qui ait: *Vnius uxoris virum oportere fieri sacerdotem?* Sed obiicitur, quod in baptismo totum, quidquid in vetere nomine gestum est, sit solutum. Dicite mihi, cum pace vestra loquor, crimina tantum dimittuntur in baptismo, an & illa quæ secundum legis præcepta ac Dei instituta complentur? Vxorem ducere, crimen est, an non est crimen? Si crimen est, ergo (præfata venia dixerim) erit auctor in culpa, qui ut crimina committerent, in paradyso, cum ipse eos iungeret, benedixit. Si vero non est crimen, quia quod

Concil. Tom. 4.

F ij

Dif. 26.
Deinde op-
ponit non.

^{1. Tim. 3.}
^{Tit. 1.}